



**Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi
Thomae tomi quinque**

Priorum vigintisex Quaestionum eius Partis expositionem complectens

Suárez, Francisco

[Köln], 1617

Sectio tertia. Tertium testimonium ex Aggæi 2. Adhuc vnum modicum, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93775](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93775)

edificanda Ierusalem: nec facis facit difficulter. *Numi. Chryf.* A vt facile erit unicuique perspicere minutius annos computanda. Alij denique propter hanc difficultatem inchoando hebdomadas ab eodem Artaxerxe, illarum finem differunt vsque ad Titum, & Vespasianum, & vt melius quadret annorum numerus, dicunt non esse necessarium sumere initium ab ipso vigesimo anno Artaxerxis, quando primo exijt sermo de edificanda ciuitate Ierusalem, sed ab eo tempore, quo perfecta fuit edificatio, tunc enim dicitur etiam proprie sermo aliquis habere exitum, quando opere completus est: ille autem annus fuit trigessimus, vel trigelimus secundus eiusdem Artaxerxis, vt sumitur ex Neemia. 13. Quam sententiam videtur multum infirmare Chryfost. oratione. 2. contra Iudeos, quae ita potest breuiter ex dictis explicari iuxta Olympiades Eusebij adinfecto citato loco ex 1. lib. Machabae. nam iuxta Eusebium à trigelimo secundo anno Artaxerxis Longimani, vsque ad Alexandrum fluxerunt centum tres anni. Alexander vero regnauit sex aut nouem annis, qui monarchiae Graecorum initium dedit, à quo ita intelligendo citatum locum ex 1. Machabae. vsque ad Hircanum fuerunt centum septuaginta septem anni: deinde ab Hircano vsque ad finem ducentesimo secundae Olympiadis, in qua passus est Christus, fuerunt centum sexaginta anni, qui omnes efficiunt quadringentos quadraginta annos, ex quibus sexaginta tres hebdomadae consiciuntur. Et ita iuxta hanc computationem mors Christi accidit in hebdomada sexagesima tertia. Ita enim explicari potest verbum illud, & post sexaginta duas hebdomadas occiderunt Christum. Deinde vero transactis alijs sex hebdomadibus, id est, post quadraginta duos annos diuisum est sanctuarium, & ciuitas desolata ab exercitu, & duce Romano, & ita in initio septuagesimae hebdomadae completa est tota prophetia, vt hac etiam ratione possint dici abbreviate septuaginta hebdomadae. Quae expositio non est improbabilis, quanquam suis difficultatibus non caret, non enim facile accommodatur textui, & vix euitare potest, quin vna redderet hebdomada. Vt tamen sit, in re tam difficili satis fuerit dubitasse, nam quod ad nostram fidem attinet facis exploratum est tempus hebdomadarum effluxisse, atque adeo Danielis prophetiam impletam esse, quāquam propter humanae historiae incertitudinem, initium, & finem earum exacte explicare non possumus.

SECTIO III.

Tertium testimonium. Ex Aggaei 2.

Adhuc vnum modicum, &c.

Lucas Ag. 10. TERTIUM testimonium ad hanc veritatem confirmandam sumitur ex verbis Aggaei 2. Hec dicit Dominus exercituum. Adhuc vnum modicum est, & ego commouebo caelum, & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes, & veniet desideratus cunctis gentibus, & implebo domum istam gloria. Dicit Dominus exercituum, meum est aurum, meum est argentum, dicit Dominus exercituum: magna erit gloria domus istius nouissima, plusquam prima, dicit Dominus exercituum: & in loco isto dabo pacem. In quo testimonio primum omnium statuendum est, sermonem esse, & promissionem de aduentu Messiae, qui merito dicitur deus dicendus esset desideratus cunctis gentibus, vt pote cunctis ipse salus & redemptio liberalissime futurus. Dices, potius dicendus esset desideratus cunctis Iudeis. Gentes enim, quibus non affluerat fidei lumen, quo pacto possent illum desiderare? Propter quod August. 18. de Ciuit. cap. 35. dicit hanc particulam huius prophetiae non esse implendam, vsque ad secundum aduentum Christi. Sed non quadrat expositio, cum tota prophetia, nisi de primo aduentu intelligatur, Fr. Suarez. Tom. 1.

vt statim dicemus. Respondetur ergo. Christum Dominum merito potuisse à Propheta vocari cunctis gentibus desideratum, etiam ante primum aduentum: vel quia semper inter gentes fuerunt aliqui, qui Christi fidem, spem, & desiderium habuerunt. Vel certe, quia quamuis gentes, quae Christum ignorabant, non desiderarent illum appetitu elicitō, tamen maxime indigebant aduentu eius: & id eo maxime illis erat desiderabilis: & quod huiusmodi est solet etiam desideratum appellari, velut ipso pondere naturae. Nam sicut terra arida dicitur desiderare pluuiam, ita aëritia corda Gentilium possunt dici desiderasse Redemptorem. Vel denique, quod mihi maxime probatur, Prophetæ ad indicandam certitudinem, solent futura, vt praeterita dicere. Quia ergo Christus amandus, & desiderandus erat à gentibus, ideo illum vocat Aggaeus desideratum cunctis gentibus, alludens ad id Gen. 49. Et ipse erit expectatio gentium.

Non nihil vero obscuritatis intulit translatio septuaginta interpretum, qui non venterunt, Veniet desideratus cunctis gentibus: sed, venient electi omnium gentium. Vnde Hebraei exponunt solum ibi praedicti multos Gentilium venturos fuisse ad videndum templum illud, & offerendum Deo optima, & pretiosa dona. Sed in primis rei euentus probauit hoc esse falsum: nullae enim gentes templum illud adierunt causa pietatis, vt illud admirarentur, seu venerarentur: sed potius ad spoliandum & depeculandum illud. Hoc enim saepius fecisse legimus donec illud funditus euersum est. Solum Magnum Alexandrum in eo legimus hostias immolasse. Sed vt bene August. 18. de ciuitate, cap. 45. non vera pietate, sed impia vanitate id fecit, Deum Israel cum suis alijs falsis colendum putans. Neque in eum locum venit honoris causa, sed vt ciuitatem subiugaret: quia vero non sunt ausi ei resistere, ideo placatum facillime subditi receperunt. Deinde Hebraica veritas habet vt nostra vulgata, Veniet desiderium cunctarum gentium: & alij legunt, in plurali, venient, & in singulari, desiderum, quo dicunt significatam esse vnitatem personae Christi, cum pluralitate naturarum: sicut è contrario cum Genesi 1. dicitur: creauit Elobim: significatur trinitas personarum in vnitatem naturae. Lectio vero septuaginta interpretum, facile eundem sensum reddere potest, siue ipse met Christus dicatur electus, seu desiderabilis omnium gentium: quia omnia bona illis attulit: siue gentes ipsae venturae dicantur ad Christum: ita vt aduentus Messiae in suo effectu, scilicet, conuersione gentium, praedictus sit. Denique etiam antiquos Hebraeos locum hunc de aduentu Messiae intellexisse, testis est Galat. lib. 4. cap. 9.

Hoc ergo posito, quod promissio hoc loco facta iam sit impleta, colligunt in primis multi ex verbo illo: Adhuc vnum modicum est: cum enim iam sint transacta duo millia annorum postquam Aggaeus ista praedixit, nisi impleta essent, modicum tempus dici non posset. Sed argumentum hoc videri potest minus efficax, tum quia prophetico more etiam longissimum tempus dici solet in sacra Scriptura modicum, scilicet, ad aeternitatem comparatum. Sic enim Paul. ad Hebr. 10. totum tempus vsque ad diem Iudicii futurum, modicum vocauit. Et Petrus 2. canonica. c. 3. mille annos dicit, apud Deum esse sicut diem vnum. Tum etiam, quia Paul. ad Hebr. 12. hunc locum transiens non legit: adhuc modicum, sed, adhuc semel, & in ea voce, adhuc semel, vim sui argumenti constituit, ex ea colligens legem gratiae esse postremam, Mosaiica illa pereunte. Eandem lectionem habent septuaginta interpretes. Et vox Hebraea vtramque permittit: Prophetæ ipse vtrumque fortasse significare voluit, scilicet, & semel, & cito, id, quod praedixit fuisse futurum. Quocir-

Varia lectio loci Aggaei.

August.

Paulus.

Petrus.

Paulus.

B

ca li.

ca licet argumentum illud fundatum in sola illa dictione, *Medicum*, non omnino cogat: tamen considerata circumstantia temporis, & occasione, qua dicta fuit hæc prophetia, satis verisimile est Messiam aduentum fuisse ibi prædictum ut iam proxime instaret. Agebat enim ibi propheta de consolandis, ac erigendis Iudæis, qui in secundo templo exedificando laborabant: erant enim tristes, deiectiq; animis, eo quod templum illud humiliter videretur esse, quam primum, ut igitur eos alacres, & promptos ad opus redderet, bonum nuntium affert Propheta de aduentu Messie, quod non multum distaret: qui præsentia sua templum illud honoraturus esset, & gloria repleturus: ad hoc enim propositum, sermonem ibi interposuit de Messie aduentu. Et hoc est, quod maxime urget in hoc testimonio: prædicitur enim ibi, Messiam ingressurum templum illud, id est præsentia sua, maiori gloria nobilitaturum, quam primum templum unquam nobilitatum est: constat ergo, & Messiam venisse, & templum illud ingressum esse: alias prophetia hæc non posset impleri, templo iam funditus euerfo.

Malach.

Et cum hoc testimonio consonat illud Malach. 3. *Et statim veniet ad templum sanctum suum Dominator, quem vos queritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis. Consonant etiam sequentia verba ipsius Aggæi. Er implebo domum istam gloria.* Primum enim templum fuisse dicitur impletum gloria Domini, cum nebula, quæ Deum significabat, intra ipsum apparuit. 3. Reg. 8. gloria autem huius posterioris templi tanto maior futura dicitur: quanto veritas umbrat antecellit: hoc est, quantum Deus ipse indutus carne, nebulam ipsum significantem gloria superat, & maiestatem. Vnde nos impletum hoc esse existimamus cum Christus infans in templo oblatus est: quo tempore domus illa vera Domini gloria cumulata est: atque sita interpretari licet pax hominibus annunciata est, dicente Simeone: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace:* sic enim exponunt locum hunc Hieron. Rupert. Lyra, & fere ceteri expositores, & Galati. Burgens. & alij recentiores, qui contra Iudæos scribunt. Iudæi vero nullam rationem inuenire possunt, ut declarent, quo pacto prophetia hæc in templo illo fuerit impleta.

Impletur
prophetia
Aggæi, quæ
de Christo
effertur in
templo.
Hieronym.
Rupert.
Lyra.
Galat.
Burgens.

August.
Hieron.
Ambros.

Verum est, aliquos ex patribus interdum hunc locum exponere de templo spirituali Ecclesiæ, ut videre est in Aug. & Hiero. supra, & Ambros. lib. 3. epist. 12. ut sensus sit: hoc templum Ecclesiæ nostræ futurum gloriosius templo Synagogæ: qui sensus est optimus, sed spiritualis, non enim negari potest, quin ad litteram Propheta loquatur de templo illo materiali, ad quod ædificandum Iudæos excitabat, quodq; oculis videbat suis, & verbis designabat. Quis inquit in vobis est derelictus, qui vidit domum istam in gloria sua prima? & quid vos videtis hanc nunc. Et de eadem domo postea concludit: *Veniet desideratus cunctis gentibus & implebo domum istam gloria.*

Prophetia
est de primo
aduentu
Christi.

Sed supersunt explicanda duo, quæ vim huius testimonij generare possunt. Primum est verbum illud: *Adhuc mouebo calum, & terram, mare, & aridam, & mouebo omnes gentes:* hæc enim non videntur impleta in priori Christi aduentu. Propter quod nonnulli, etiam ex Catholicis, hoc testimonium referunt ad secundum Christi aduentum, quando cæli, & elementa omnia mouenda sunt. Et eadem ratione dicere possent Iudæi, totam prophetiam nondum esse completam. Sed si recte quæ diximus ponderentur, sufficienter conuincunt hanc expositionem de secundo aduentu falsam esse: quia Christus non post secundum aduentum, sed statim post primum ingressus fuit templum illud: nisi fortasse iterum sit ædificandum, ut in secundo aduentu Christus illud ingreditur, quod Iudaicum est. Denique nec occasio aut finis, propter quem dicta est hæc prophetia,

illum sensum admittit, nec Paul. ad Hebræos, 12. ubi docet, ibi esse prædictam mutationem veteris legis in nouam, & cessationem mutabilium umbrarum, & figurarum, per immobilem gratiam, & prepetuam, quæ mutatio in primo Christi aduentu facta est. Et ita hunc locum intelligunt omnes allegati patres, & expositores.

Ad difficultatem ergo positam respondetur, etiam illa signa, quæ illis verbis indicantur, in primo Christi aduentu exhibita fuisse, quo nimirum nascenti Christo, cæli moti sunt, cum Angeli, & sidera testimonium illi præbuerunt: & Angeli gloriam cecinerunt Deo: nox clarius splenduit, quam dies, stella Magos duxit ad præsepem: tres soles apparuerunt in cælo, in vnum postea coalescentes, quod historiz referunt, quatuor meminit etiam D. Th. hac 3. p. q. 36. art. 3. ad 3. & Galatin. lib. 4. c. 10. & Iulius Obsequens lib. de prodigijs. c. 128 ubi alia similia referuntur. Terræ item mota est admiratione eorum, quæ in Christi honorem, & manifestationem facta sunt: hanc enim vim habet phrasia illa in Scriptura, ut Psal. 48. *Dedit vocem suam, & mota est terra: Dominus virtutum nobiscum:* Et Psal. 95. *Commouetur & facie eius vniversa terra, & dicit in gentibus, quia Dominus regnauit.* Quæ duo testimonia etiam accommodari possunt ad Christum: Sic etiam Psal. 67. & 113. dicitur terra mota in egressu populi ex Aegypto propter prodigia, quæ tunc facta sunt. Addit etiam Nazianz. oratione. 37. quæ est 5. de Theologia, mundi conuersionem, & mutationem ab idololatria ad Christum, posse terræ motionem appellari. Quomodo explicat August. verbum illud: *Et mouebo omnes gentes,* scilicet ad suscipiendam fidem, atq; idolorum cultum reiiciendum. Possunt denique dici terra, & mare commota bellis, & perturbationibus prope innumeris ante Christi natiuitatem, donec pacato orbe Romanorum virtute, ut Christus nasceretur, pax promissa, conseruata est. De qua etiam pace, intelligi potest verbum illud: *Et dabo pacem in loco isto.* Quamuis verissime de spirituali pace, quæ ab Angelis annunciata est, & per Christum perfecta intelligendum videatur. Hoc ergo modo dicta omnia signa in Christo Domino, primoq; eius aduentu impleta sunt.

Secunda difficultas est, quia refert Iosephus libro 15. antiquitat. cap. 11. & lib. 6. de bello Iudaico. cap. 8. templum illud tempore Aggæi ædificatum non durasse vsque ad tempus in quo Christus aduenit. Herodes enim decimo octauo anno Regni sui, illud destruxit, & aliud loco illius ab ipsis fundamentis ædificauit. Non ergo in illud templum ingressus est Christus: Et augeatur difficultas quia tam multa dicit Iosephus de templo illo ab Herode constructo, ut etiam in materiali pulchritudine, magnitudine, maiestate, & alijs ornamentis, & diuitijs, Salomonis templum longe superasse videatur. Vel igitur illud templum reputatur vnum, & idem cum templo, quod tempore Aggæi ædificabatur, vel diuersum: si diuersum, ergo nunquam impleta est prophetia Aggæi de illo suo templo, in quod nunquam ingressus est Christus: nec villo alio nomine gloriosius fuit priori alio: quo etiam datus ansam Iudæis euadendi, & expectandi templum aliud, in quo prophetia ista compleatur: si idem ergo illud dici potest gloriosius primo, non propter ingressum in illud Messie, sed propter supra dicta ornamenta, quibus illustrius, ac magnificentius fuit.

Respondetur ad priorem partem, non ita fuisse templum illud solo equatum, & aliud ab Herode constructum, quin eo modo, quo homines loquuntur, dici poterit absolute, & simpliciter idem templum. Quod manifeste conuincitur ex hoc testimonio, ut ratio facta ostendit, & indicant Iudæi Ioan. 2. dicentes, quadraginta sex annis fuisse ædificatum templum illud: cum tamen templum ab Herode constructum octo annis absolutum fuerit, teste Iosepho dicto lib. 15. cap. 4.

Varia pro-
phetia in ad-
uentu Christi
supremo.

S. Thom.
Galat.
Iul. Obse.

Nazianz.

August.

Ioseph.

Herodes, non
omnino con-
struxit tem-
plum, sed
auxit.

cap. 4. quamquam non desine, qui vsque ad Neronis tempora durasse ex eodem Iosepho lib. 20. cap. 8. affirmant. Dicit autem potest esse vnum, & idem templum, vel quia non omnino à fundamentis, & quoad omnes partes, totum templum destructum est: vt colligi potest, ex eo quod porticus Salomonis vsque ad Christi tempora durauit, vt patet Ioan. 10. Act. 3. & 5. & ex Iosepho lib. 20. antiq. cap. 8. vel quia non simul totum, sed paulatim, & per partes, nam propter continuam illam successionem, & præsertim quando per se non intenditur destructio, sed instauratio & amplitudo, solet iuxta humanum loquedi modum censeris sufficiens, vt eadem domus, vel idem templum manere dicatur.

Ad posteriorem partem respondetur: primum incertum esse, an tantus splendor vltimi templi, cum ab Herode edificatum seu ornatum fuit, vt posuit in ipsa materiali structura cum templo Salomonis comparari. Deinde quidquid de hoc sit, certum tamen est propter solam lapidum magnitudinem, aut pulchritudinem, aut propter diuitias auri, & argenti non posse gloriam illius templi dici maiorem, quam fuerit gloria templi Salomonis. Tum quia, vt bene notauit Rupert. nunquam Deus gloriæ domus sue reputasset, quidquid homo fanestus, & Rex impius operari posset: tum maxime, quia omnia quæ præcipua erant in templo Salomonis, propter quæ gloriosum existimabatur, magis quam propter lapides, & aurum, ea, inquam, omnia huic posteriori templo defuerunt. Huiusmodi autem sunt arca fœderis, quæ 1. Reg. 4. gloria Israel dicitur, & propterea quando à Philistinis capta est, gloria Dei translata ab Israel dicitur. Hæc autem fuit in priori templo, non in posteriori, vt prædictum fuerat per Ier. ca. 3. Diuina item responsa olim in propitiatorio accipiebantur, vt sumitur ex 1. Machabæor. 4. & alia similia, quæ bene profequitur Chrysost. oratione 3. contra Iudæos, & Galatinus lib. 4. cap. 17. Non potest ergo vlla ratione posterius hoc templum, gloriosius dici quam primum, nisi propter Messiam præsentiam, vt optime nostri expositores, & Augustinus lib. 18 de ciuitate, cap. 35. 45. & 48. Chrysost. & alij citati patres interpretantur. Vnde etiam fit, vt insanie conuincantur Iudæi templum aliud expectantes, in quo prophetia hæc impleatur. Tum quia, etiam si illud sperari posset, non esset verè vnum, & idem cum illo, quod à Romanis penitus euersum est, sed omnino diuersum: de quo proinde Aggeus loqui non potuit. Nihil enim illud referre poterat ad animandos Iudæos, qui instauracione secundi templi laborabant, tum etiam, quia reuera expectari non potest, cum per Daniel. cap. 9. prædictum sit, vsque ad finem perseueraturam desolationem, quod ipsa rerum euidentia, & experientia demonstrat Iudæis. Cum enim sæpe tentauerint templum illud instaurare, Romano etiam Imperatore Iuliano interdum iuuante, nihil vnquam proficere potuerunt, ipso etiam Deo prodigijs, & signis apertissimis, interdum resistente, vt videre est in Chrysostom. oratione 2. contra Iudæos. Euseb. lib. 4. histor. cap. Rufino. lib. 1. cap. 37. Socrate. 3. cap. 17.

SECTIO IV.

Quartum argumentum ex varijs testimonijs & signis de aduentu Messie.

QVONIAM infinitum esset singula Prophetarum testimonia persequi, vnum, ac breue argumentum ex cæteris colligam, quod indicat Christus Matth. 11. quando nuntijs, à Ioan. Baptista missis, vt ipsum interrogaret, Tu es qui venturus es, an alium expectemus? Respondit, Cæci vident, claudi ambulant: hæc si aperte diceret, vt me esse Messiam promissum cognoscatis, in me, & per me impleta esse, quæ de Messia prædicta sunt, considerate. Prædictum enim erat, Ortum Messie futurum esse ex Virgine Isai. 7. & tali

Fr. Suarez Tom. 1.

A loco, scilicet, Bethlehem. Mich. 5. & eo tempore quo pax esset in vniuerso orbe. Isai. 2. Mich. 4. Zach. 9. Rursus prænuntiatus est Ioan. Baptista præcursor illius Malach. 3. Isai. 40. scriptum etiam erat Messiam prædicaturum; pauperibus, captiuis, & contritis corde: suamque doctrinam magnis miraculis confirmaturum, aperiendo oculos cæcorum, &c. Isai. 35. & 61. prædictum præterea fuit, futurum ipsum pauperem, & tanquam Regem ingressurum Ierusalem super asinam. Zachar. 9. Passio deinde, & mors eius; & tenebræ, seu Solis defectio; & alia signa quæ in ipsa contigerunt, ita à Prophetis scripta sunt vt retulisse potius præterita, quam futura prænuntiasse plane videantur: vt constat ex Psal. 21. 40. 68. Isai. 53. Ier. 11. Amos. 9. Zach. 12. & 13. & sæpe alias; & Isai. 11. Sepulchrum eius futurum dicitur gloriosum. Narratur deinde descensus eius ad inferos; & libertas captiuorum iustorum, qui ibi morabantur. Eccle. 24. Zach. 9. Resurrectionem prædixit Dauid. Psal. 3. & 15. Ascensionem vere. 67. Ascendisti in altum, &c. Et Mich. 2. Ascendit pandens iter ante eos. Inde vero missurum Spiritum sanctum, Ioel. significatum est. Denique vocatio gentium, & reprobatio Iudæorum, sæpius à Prophetis dicta sunt: de priori enim dicitur Isai. 49. Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & succes Israel conuertendas: ecce dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terre. Et c. 66. Mittam ex eis, qui saluati fuerint, ad gentes in mare, in Africam, & Lydiam tenentes sagittam, in Italiam, & Græciam ad insulas longe: ad eos qui non audierunt de me, & non viderunt gloriam meam, &c. De posteriori vero dicitur Ierem. 19. Sic conteram populum istum, &c. Et similia sunt frequentia in Scripturis: ex quibus ita concluditur argumentum. Deus prædixit per Prophetas hæc omnia de Messia, vt per ea cognosceretur cum venisset: sed hæc omnia videmus esse completa in Christo: ille ergo est verus Messias, qui iam venit.

Maiores partim in superioribus probata est, partim ex collectis testimonijs est ita euident, vt negari non possit, & eam late demonstrant scripturarum expositores, nobis enim non licet hoc loco latius singula persequi. Minor vero, præter Euangelistarum testimonia, ipsa rerum euidentia constat magna ex parte: nam ex Iudæis fuisse natum Iesum Christum Dominum nostrum, eisq; prædicasse, & mirabilia apud illos operatum esse, ab eis deniq; fuisse crucifixum, & mortuum, nec ipsi Iudæi negant, nec negare possunt, eum res fuerint toto orbe notissimæ, quas etiam Iosephus eorum Historiographus, memorix prodidit, lib. 18. antiquit. c. 8. vbi grauissimum de Christo Domino reddit testimonium. Deinde, vel inuiti experiuntur delicti sui poenam, & perpetuam desolationem, à Daniele, Ieremia, & alijs Prophetis prænuntiata: quam enim sæpe propter peccata puniti sint à Deo, & hostibus traditi in seruitutem, semper tamen præcedebant aliqua publica & communia peccata, præsertim idolatriæ, vel neces Prophetarum, & nihilominus captiuitates, & poenæ breui tempore finiebantur, atq; in eis, habebant prophetas, & sanctos viros, per quos Deus, & exhibuit aliqua beneuolentiæ signa, & præbuit semper euadendi spem: at verò nunc, ab eo tempore quo venit Christus, nec coluerunt idola, nec habent grauiora scelera moralia, quam antea haberent: tamen toto hoc tempore grauissime puniuntur, non solum temporali seruitute, sed etiam spiritali quadam & diuina desertione. Carè enim prophetis, carent miraculis, carent templo, sacrificio, sacerdotibus: signum perfectò euident, eos puniri propter grauissimum peccatum commissum in Christi morte, & incredibili quadam mentis cecitate, & infidelitate confirmatum.

At enim obicere possunt Iudæi, multa alia signa data esse à Prophetis de aduentu Messie, quæ non apparent in Christo Domino completa esse: ergo ex his

B 2 quæ